

dimus. Quid *Susceptio*, Stephanus Protomartyr, videns *Cælos apertos*, ad quos jam transfrendus erat, & clamans: *Domine Jesu, SUScipe SPIRITUM MEUM*, statis nobis aperuit. Aperuit & ipse Hilarius, dum de Christo in Cœlum ascendente scribit Tractat. in Psalm. LVIII. num. 6. *Et dignum fuit, reditum ejus in ambitione occursum cœlestis ornari, ne ingressuro Cælos dignatio paterna de Cælo deesset. Neque id mirum, quum primo nominis sui Martyri Stephano, velut in primoribus Cœli, in occursum a Deo Patre descensum sit.* Sed quid ultra moror? Ut infra videbis, ab Hilario ipso *Optimum perfectio Bonorum appellatur Inhabitationis Cœlestis Requies.* Ergo illi *Requies* Beatitudo est, in quam Martyrum & reliquorum Justorum Animæ segregatæ a Corpore invehuntur. *Sed si Christus Dei Requies est, ergo hi, QUI IN CHRISTO ERUNT, ERUNT IN DEI REQUIE:* inquit idem Hilarius, de Beatitudine loquens Tractat. in Psalm. XCI. num. 9. Rursus vero, ut palam fiat, quid sit *Requies Æterna*, in quam *Justi cujusque* Animam separatam a Corpore deduci Hilarius nuper significavit, illum audi ita loquentem Tractat. in Psalm. cxlviii. num. 5. *Vitæ via, sicut Dominus in Evangeliiis ait, angusta & tribulata est: neque nisi per maximas difficultates & molestias hac ad COELORUM REGNUM via pergitur. Quod quidem de molestiis hujus Seculi dictum fuisse intelligi oportet. Per præsentis enim vexationes in REQUIEM ÆTERNAM aditur. Et quamvis rerum Præsentium laboriosam uramur, tamen Post harum Præsentium acerbitatum rigores; Deo eos resolvuntur, in placidis & tranquillis & serenis QUIESCEMUS, Hæc nullam discrimen statuit Hilarius inter Requiem Æternam, atque Regnum Cœlorum; & illuc aperte ait, absoluto laborioso hujus vitæ studio, pervenire Justos. Infra idem confirmatur, scribente sancto viro: *Dissolutis infirmitatibus Corporis, REGNI BEATI hujus tempus ÆTERNUM est, ubi non flendum, non dolendum &c. Sed in his vivendum, Quæ oculus non vidit &c. Quum igitur audis, Martyres in Dei Susceptione Requiescere, Justos in Requie Æterna degere, ne tibi Burneti somnia obrepant, quasi illic de quadam inadpota Quiete, & quodam ad instar insectorum Somno agatur. Quies illa, seu Requies, in Deo est, in Visione Dei est; neque unquam mortalium animus quiescet, donec ad amplexum & visionem summi incommutabilis & infiniti Boni pertingat. Sed & Philosophia ipsa, non in Voluptate, quæ in motu est, sed in Quiete veram hominis Felicitatem in terra collocavit. Quanto plus in Cœlis? Præterea, quid Martyribus post mortem contingat, diserte alibi significavit Sanctus Hilarius, Tractat. in Psalm. lxxv. num. 21. ubi hæc ejus verba: *Alii in profundum demergendi, non in aquas necaturas; sed in REFRIGERIUM ÆTERNÆ BEATITUDINIS* decidunt; Infra addit: *Et quo translucatur (Martyr) Prophetâ non nescit, dicens: Et eduxisti nos in Refrigerium. Hujus Refrigerii & in alio loco meminit, dicens: Convertere Anima mea in Requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Bene placebo Domino in Regione Viventium.* Insuper ait: *Per hæc igitur genera penarum, Martyres in fidei te-***